



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**S. Avrelii Avgvstini Hippoensis Episcopi Et S. R. E.
Doctoris Vita**

Lancilottus, Corneille

Antverpiæ, 1616

Cap. XVIII. Scribit varios libros, De peccato originali, De gratiâ Dei, De
libero arbitrio, &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42857

scribens præter Synodicas epistolas, communi omnium voluntate, familiares quasdam literas ad B. M. Innocentium Pontificem Romanum. Itaque cùm à celebratione duorum horum Conciliorum, totius Africæ Patres ad euellendum radicitus fibras Pelagianæ sectæ totis viribus pro se quisque incumberent; vnanimi sententiâ huius rei principem Augustinum sibi statuerunt. Quem ille laborem quâ solertiâ, quaqué animi contentione sustinuerit, abunde scripta eius testantur: atque hoc sanè constat, quòd, quemadmodum aliis à se scriptis libris præsticisse scriptoribus ceteris iudicatur, ita hisce quos contra Pelagium elaborauit, scipsum omnino superasse videatur. Ad quorum excellentiam D. Prosper hisce versibus, de quibus infrà latiùs, allusisse videtur:

*Istius ergo inter cunctos qui de grege sancto,
Insanas pepulere feras, industria maior.*

C A P V T X V I I I .

*Scribit varios libros, De peccato originali,
De gratiâ Dei, De libero arbitrio, &c.*

AVDIERAT Pelagium expostulare cum Catholicis, quod ab iis falsò traducetur, tamquam Baptismi sacramentum infan-

infantibus denegasset : quare Augustinus scripsit in eum De peccato originis librum, in quo & Pelagium erroris conuincit, libellumque eius apologeticum destruit. Quod idem effecit libris De gratiâ Christi à se editis. Dedit quoque epistolam ad Paulinum Nolanum Antistitem, quâ præpur-gatos voluit (Paulino crediderim hortante) ad sanam Ecclesiæ mentem reducere, qui errores Pelagij, antequam esset publicè damnatus, ibidē commorantes imbiberat.

In eamdem doctrinam libros octo ele-gantissimos exarauit contra Julianum Epi-scopum Capuanum, qui Pelagiani erroris acerrimus defensor erat: ac deinceps annos complures hæreseos eiusdem nefandas reliquias est prosecutus, quibus tandem infa-tigabili eius studio, à toto orbe anathema dictum, & ab Imperatore exilij leges sunt decretæ. Ceterū eumdem hactenus cum Pelagianis depugnantem, planè nouum, atque adeò contrarium certamen exceperit, nempe aduersus eos qui liberum arbitrium penitus tollebant, omniaq; soli gratiæ Dei mortalium opera tribuebant, negantes ex-tremo iudicij die secundum cuiusq; actio-nes præmia distributum iri. Pelagiani verò è diametro huic errori aduersabantur. Ita-que quo vtrumque dogma falsitatis argue-

*Infatigabi-
li Augusti-
ni studio.
Pelagiani-
smo anathe-
ma dictum.*

P 4 ret,

ret, duos scripsit Commentarios, vnum De gratia & libero arbitrio, alterum verò De correptione & gratiâ. Adiecitque duas Epistolas ad Valentium, & monachos Adrumetinos hoc errore imbutos.

CAPUT XIX.

D. Augustinus perpetuus hæreticorum malleus.

*Cur D. Au-
gustinus
hæretico-
rum mal-
leus.*

QVAMOBREM meritò ab Ecclesiâ *perpetuus hæreticorum malleus* est vocatus. Ut namque malleo enses, hastæ, lanceæ, scuta, bombardæ, aliaque id genus arma bellica præparantur; ita præstantissimi huius Doctoris scientia vice mallei fuit Ecclesiæ, quo cusa sunt velut instrumenta bellica librorum, in eiusce contra sectarios defensionem. Ac quoniam diuersissimæ surgunt hæreses, etiam varia sunt armorum ipsius, id est, scriptorum optimorum genera, quibus armamentarium Ecclesiæ ad quævis belli tempora copiose est instruatum. Aut forsitan dictus est malleus, quod in bello soleat usus esse malleorum, in eos qui veniunt duplicitibus armis contecti: si quidem ingens vis est malleorum, nam & ferrum quaissant atque contundunt, galeas diffingunt, cerebrum excutiunt; estque eorum armatura, qui fortes atque lacertosí

cum